



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 75. Et ipsi non introierunt in prætorium. v. 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

bitas tanta fuit ut mihi videatur S, Ioannes sine cordis sui convulsione vel examinatione eam scribere non potuisse & ideo cordi suo indulgisse ut eam silentio transiliret. Ecce anima mea velut è profundo somno evigilans hæc tecum reputa, dicens, Ergone ea peccata, qua tam facile & leviter admisi, tanto stare debuerunt Domino meo? Ergone tam gravis me manebit poena? bene laudebam in plateis impia Babylonis, (lusum peccatorum) & in secreto regalis cubiculi ferebatur, contra me iudiciū mortis, audijt unigenitus filius Dei & continuo posito diademate nudus pedes aspersus cinere caput, abiit flens & eiulans eo quod morte damnatus esset servulus vilis & abiectus: Quid faciam adhucne ludam? & delulam lacrymas eruit adhucne cum perfida istudais illum meis peccatis divexabo & ad mortem expetam: adhuc cum illis perseverabo adhucne ludam & delulam eius sanguinem? absit, sed dicam prostratus in faciem meam coram te cum Pharisæo penitente.

Domine Iesu Christe qui in hunc mundum propter nos peccatores de sinu patris advenisti, ut de Adæ peccato nos redimeres, quia scio & credo te non propter iustos, sed propter peccatores in terra habitasse. Exaudi me Deus meus peccatorem culpabilem & indignum & negligentem & obnoxium. Tibi confiteor omnia peccata mea & omnia mala mea & quidquid in hoc sæculo deliqui de factis de iniquis cogitationibus de omnibus malis meis veniam peto. Erravi fateor indulge quia pius es Christe, te laudo te magnifico, te glorifico Trinitas sancta, tibi gratias ago in omnibus infirmitatibus meis, quia non habeo in alium spem nisi in te Deus meus.

S. 75. Et ipsi non introierunt in pretorium, v. 28.

Propter Festum Paschæ quod imminebat solemnissimum & dies azymorum, quibus sicut non comdebant panem fermentatum ludæ, sed azymum, ita sibi quoque putabant non liceret intrare domos alienigenarum. Magnum puritatis studium. Si modo etiam cordis & conscientie puritas pariformiter fuisset dilecta. At malum facere, impie examinare, falsa testimonia super innocente inducere, eaque propter iniuste innoxium condemnare, & de republica optime meritum divexare, non ducebant religioni? Cur hoc? quia oderant Iesum verum agnum Paschalem & ipsi manere volebant in figuris eius & non venire ad veritatem: ideo eum ante Festum Paschatis morti adiudicatum volebant & extinctum, ut pro more suo in figuris manere & in umbra levi, celebrare suum Pascha possent. Sed apage hoc figuristarum & hypocritarum genus. Quod utinam non etiam inter Christianos sæpe abundet. Ecce enim ibi quoque sume tales

tales. Primo Hæretici hi enim uti Anabaptistæ intrare in templum Catho-
licorum manu hominum factum reformidant, sed bene ex templis facere
equilla & tunc intrare, iidem iurare veritatem non audent, sed bene men-
titi & alij multi hæretici, ita sunt in oculis hominum iusti, ut obolum et-
iam non detrahant in contrætu, at tamen integra templa, monasteria, col-
legia, vrbes & Provincias bene audent Catholicis eripere. Calicem cola-
tores, camelorum glutiores, quantum studij in Regum custodia simula-
runt se ponere Puritani Britanniarum! quomodo majestatem regalem
sanciverunt Decretis synodalibus caput Ecclesiæ etiam constituendo, &
hoc negantes occidendo, secando, strangulando, sed serione? nequaquam,
ipsi sciunt & coram mundo notificarunt, quam simulate omnia illa fue-
rint sancita. Aliquam hic etiam querelam non ego sed Dominus potest
movere contra quosdam Catholicos Christianos, qui in externa quadam
observantia pietatis religiosæ sese ita tenent & gerunt, ut corticem aspi-
ciens pene sanctos crederes, sed si introspicias invidiam odiaque fovent &
alia multa vitia, quod de foris est calicis videntur emundare, quod intus ve-
neno & abominatione implere.

Sanctifica eos, ô Pater, in veritate & non in observantia solum, exteriori:
fuga à filiis tuis omnem hypocrisin & simulationem, ut serviant tibi inte-
gro & mundo corde ac epulentur coram te in azymis sinceritatis & veri-
tatis.

§. 76. Ne contaminarentur. v. 28.

Ridiculus sane prætextus, verum tamen à genio humano non alienus
in præsenrem diem, & quod est miserimum non agnoscitur ab his qui eius-
modi larvas sibi concinnant. Ecce hi Pontifices, Seniores & scribæ præto-
rij ianuam tanquam maculam fugiunt, & hominibus incircumcisis misce-
ri non patiuntur: lapidibus & hominum corporibus inquinari se credi-
derunt, iniuria vero interficere hominem sanctum nihil pensi putaverunt.
Humana constitutio erat, ne Iudæus domum incircumcisi intraret ut ab
immundo & incircumciso non contaminaretur? Lex autem divina erat
Non occides, non invideto, non falsum testimonium dicito, & hanc legem Dei con-
temnebant Iudæi, servata hominum constitutione,

Quid hic, ô videntes, dicemus? vel faciemus? Nescio aliud quam quod
Christus fecit cum cæcitatem Pharisæorum aspexit, indignatus est su-
per ea, & virtus Domini erat ad sanandum eos, sit in illis, qui ista vident
virtus ad sanandum taliter cæcos, oremus, ieiunemus, instruamus, & illu-
minemus.

¶

§. 77.